

VIII PETRI BEMBI

ter Prodominus missus est : eum magistratum , magnum in primis atque honorificum , illis temporibus Veneti , virtute belli partum , victoriaeque tamquam insigne , gerebant in aliena civitate . eo quoque cum patre filius exiit : sicque eo in oppido perdiu fuit , ut (a) cum ab omni juventute , ab omnique nobilitate plurimum coleretur , tum vero Herculi Estanti , maximo ac fortissimo viro , qui in ea civitate imperium obtinebat , Lucretiae Borgiae , quam in matrimonio Alphonsus habebat , gratus in primis , acceptusque esset . Per idem tempus , (b) cum annos natus esset haud amplius XXVI . (c) eos sermones , qui Asulanus ab eo inscripti sunt , confecit ; opus omnium pigmentorum flore atque colore distinctum . feminas omnino cum adolescentibus de amore loquentes amoenissimis quibusdam in hortis facit , ita lectissimis verbis festive ac venuste , ita sententiis copiose atque ornatae , nihil ut ejus oratione cum uberior , tum vero suavius modulatus esse possit . (d) Eos libros tanta hominum , mulierum etiam medius fidius approbatione & tamquam plausu exceptos recentes esse meminimus , ut extemplo cuncta eos Italia cupidissime lectitarit atque didicerit : ut non satis urbani , aut elegantes ii haberentur , quibus Asulanae

cum agerentur *Plautinae Trinummus & Poenulus* , atque *Eunuchus Terentiana* ; quarum haec tanto omnium favore & plausu excepta est , ut semel atque iterum reponi debuerit . Id scribit Bembus (Famil. I. ep. XVIII.) Gabrielio suo .

(a) cum ab omni juventute , ab omnique nobilitate plurimum coleretur) Inter ceteros , quos sibi amicos Bembus Ferrariae adscivit , recenset Beccatellus illam clarissimorum ac doctissimorum hominum trigam , *Herculem Strozzi* , *Antonium Tibaldaeum* , & *Jacobum Sadoletum* ; praeterea *Alphonsum Atestinum* , *Herculis ducis filium* , qui patri deinde successit . Addam ipse philosophum ac medicum praestantissimum *Nicolaum Leonicenum* , a quo etiam philosophiam doctum esse , testatur ea , quae vicesima septima est inter Epistolam Leonis X. nomine conscriptas lib. X. data Romae IIII. non. april. anno IIII. qui incidit in annum aerae vulgaris M. D. XVI. Te vero & amavi profecto omni tempore : nunc eriam Petri Bembi scribae a latini mei , qui te misericorde diligit , & Ferrariae in Prodominatu patris sui admodum adolescentis cum esset , de tuo pleno fonte hauisse se praecepta philosophiae dictat , rivulunque duxisse , &c.

(b) cum annos natus esset haud amplius XXVI.) Major annis XXVII. erat Bembus , cum primum Asulanis disputationibus manum admovit . Supra enim vidimus cum parente Ferrariam petuisse sub exitum anni M. CCC. LXXXVI. id quod constat etiam ex ejus epistola ad Tryphonem Gabrielium , quae inter italicas postumas prima est libri II. Volum. II. Ita etiam Beccatellus : E quivi d' anni XXVIII. compose i suo Asulanus .

(c) eos sermones , qui Asulanus ab eo inscripti sunt , confecit .) Hos sermones , quamquam Ferrariae incepit , Aceli tamen aliquot post annos absolvit , ibique habitos voluit credi : hinc ille nomen factum . Fuit Acelum quondam civitas episcopal , nunc vero agri Tarvisini oppidum haud ignobile , omnibusque opportunitatibus commendatissimum . Cypriae reginae *Catharinae Corneliae* , civi suea , Senatus Venetus , cypro ab eadem prius regno auctus , redeunti in Italiam dono dederat . Opus hoc elegantissimum Bembus *Lucretiae Borgiae* , Ferrariensem ducis Alphonsi conjugi , dicavit , data Venetiis epistola kal. sextil. M. D. IIII. Prodiit autem primum Venetiis ex aedibus Aldi Romani anno M. D. V. mense martio in 4. Saepius deinde editum . Gallice versum prodit cum illa epigrapha : *Les Azolains de Monsieur Pierre Bembo de la nature d'amour , traduite d'italien en Francois par Jean Martin Secretaire de Monsieur Cardinal de Lenoncourt . A Paris , pour Galion du Pri , M. D. LVI. in 8. In nuncupatoria ad Aurelianensem ducem epistola , jussu illius ait interpres , gallice a se redditum esse opus , quod de amore agit , non tam omnibus verborum ornamentis , quam excerptis undique ex morali philosophia & theologia doctrinis , refertissimum .*

(d) Eos libros tanta hominum , &c.) Eadem iisdem fere verbis refert Beccatellus in Bembi vita . La qual opera da tutta Italia con molto desiderio fu veduta & letta ; & da quella cominciorono i svegliati ingegni a considerare che cosa fusse regolatamente scrivere , & far rime veramente toscane , che prima si facevano a caso ; ne era per letterato & gentile stimato , chi detti libri letti non avesse . Venetias Bembus rediit anno M.D.